



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De vera cordis requie, 29

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

amor sæculi, corde, ore, & opere omnibus demonstrat.

2. Deridet hujus sæculi gloriam, arguit sollicitudinem: & quam stultum sit, in iis quæ transeunt fiduciam habere, ostendit. Miratur cæcitatem hominum, qui hæc diligunt. Miratur etiam quomodo universa hæc transitoria & caduca omnes non derelinquunt. Omnibus existimat dulce, quod sibi sapit; omnibus placere, quod diligit; omnibus quidem esse manifestum, quod cognoscit. Frequenter Deum suum contemplatur, & in ejus contemplatione suaviter reficitur, tanto felicius, quanto frequentius. Dulce est enim semper ad considerandum, quod ad amandum & laudandum semper est suave.

### C A P V T XXIX.

*De vera cordis requie.*

1. **R**evera hæc est vera cordis requies, cum totum in amorem Dei per desiderium figitur; nec quidquam aliud appetit, sed in eo quod tenet, foelici quadam dulcedine delectatur, delectando jucundatur. Si vero vana aliqua cogitatione vel rerum occupatione inde aliquantulum abstractum fuerit, summa cum festinatione illuc redire festinat; exilium reputans, alibi quam ibi moram facere. Nam sicut nullum est momentum, quo homo non fruatur vel utatur pietate divina; sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria,

2. Idcirco

2. Idcirco non levi crimine tenetur astringitur, quisquis in oratione cum Deo loquitur, & subito abstrahitur ab ejus conspectu, quasi ab oculis non videntis, nec audientis. Hoc autem fit, quando cogitationes suas malas & importunas sequitur: & aliquam vilissimam creaturam, ad quam mentis intuitus facile distrahitur, ei præfert: illam videlicet in cogitatione sæpius revolvendo vel cogitando, quem Deum, quem assidue debet recolere Creatorem, adorare Redemptorem, expectare Salvatorem, timere Iudicem.

## C A P V T X X X.

*Quidquid mentis aspectum à Deo retrahit,  
omnino fugiendum est atque  
execrandum.*

I. **Q**uisquis amat mundum, tibi prospice quo sit eundum:

*Hæc via, quæ vadis, via pessima, plenaque  
cladis.*

Fuge igitur, ô homo, paululum occupationes tuas, & absconde te modicum à tumultuosis cogitationibus tuis. Abjice nunc onerosas curas, postpone laboriosas dissensiones, vaca aliquantulum Deo, & paululum requiesce in eo. Intra in cubiculum mentis tuæ; exclude omnia præter Deum, & quæ valent ad quærendum eum; & clauso ostio quære eum. Dic nunc totum, cor meum, dic nunc Deo: Quæro vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiro.